



Amsterdami Apud Guiljelmum Blacu, 1635

3

IOAN. BERTELI,   
LUXEMBURGENSIS   
DUCATUS   
DESCRIPITIO.

**S**CIENDVM quod Luxemburgensis Provin-  
cia, Ducatus titulo insignis, uti amplissima est, &  
vix ulli reliquarum Belgii Provinciarum, in longitu-  
dine, latitudineque cedit; ita & quamplurima sine suo  
complectitur egregia & perantiqua nobilitate conspicua  
dominia, quorum alia Ducatus, Marchionatus, Prin-  
cipatus sive Comitatus, alia Baronatus aut simplicis  
Dominii dignitate gaudent. De quibus sigillatim,  
quantum per sedulam inquisitionem noscere licuit, bre-  
viter agere consitui.

DE ARLUNENSI MARCH.

**C**VM igitur cæteris, quæ adhuc nul-  
lam status pristini mutationem acce-  
perunt, præstare videatur Arlunum, quod  
Marchionatus fulget titulo, ab eo initium  
hujus tractatuli sumendum existmavi, gra-  
datim ad alia, secundum quod res exige-  
re videbitur, descensurus.

Sicrum habet Arlunum oppidum (quod  
Marchionatui isti denominationem tri-  
buit) loco valde amœno, nonnihil præ cir-  
cumjacente solo elevatori, agris fertili-  
bus, pratis, & silvis, pascua, & alias vitæ  
commoditates, abunde ministrantibus,  
perfruens; à Metropoli totius Ducatus Lu-  
xemburgici quatuor distans milliaribus,  
eamque ab orientali sui parte respiciens;  
Ardennam vero ab occidua & septentrio-  
nali, & Lotharingiam à meridie conter-  
minam habens. Castrum olim insigne in

IOAN. BERTELLII  
 HISTORIA  
 PRINCIPVM  
 LUXEMBURGENSIVM.

*Vbi de eorum ortu, progressu ac regimine, usque ad Albertum Austriacum.*

**T**RACTATURVS ea qua poterō brevitate & veritate, non de Trojanæ urbis, alteriusve conditione, situ, profectu sive excidio, sed de Luxemburgicæ domus origine, ejusque Principum genere, nobilitate, ac præstantia, lectorem inprimis meum rogatum enixe cupio, quatenus ejusmodi in hujus opusculi evolutione curet habere animum, candore nimirum & benevolentia affectum, qualem sibi vicissim data occasione ab aliis exigeret. Quod quidem si præstare mihi roganti non detrectaverit, futurum spondeo, ut exigui in legendo laboris impendendi pro rerum dignitate, & jucunditate inde profectura minime eum pœniteat. Ecquid enim jucundius, & ut cætera taceam, liberali, & ingenuo homini convenit magis, quam sub succincto verborum complexu, ortum, gesta, seriem, successionem, ac denique occasum quamplurimorum Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque Principum ac Magnatum ex eadem quasi radice promanantium, sibi ob oculos proposita intelligere, considerare,

LVD. GVICCIARDINI  
 HANNONIÆ  
 COMITATVS  
 DESCRIPTIO.

**H**ANNONIA bona ex parte est  
 ea regio, quam, ut Cæsar in Com-  
 mentariis asserit, infedere quon-  
 dam famosissimi illi Nervii, qui (ut suo lo-  
 co jam dictum est) metropolin agnovere  
 Tornacum, urbem paullo ante nobis de-  
 scriptam. Hæc Provincia, prout constat  
 ex ejus annalibus, Belgicaque historia, &  
 scriptoribus aliquot fide dignis, sæpius  
 olim mutavit nomen. nam initio quidem  
 Pannonia dicebatur à Deo Pane, incolis  
 per id tempus culto: hinc Latine scriben-  
 tibus dici cœpit *Saltus Carbonarij*, à Carbo-  
 naria silva pluries nobis memorata: postea  
 venit vocabulo Inferioris Picardiæ: tan-  
 dem vero Latinis Hannonia, incolis vul-  
 go *Hainaut*, ab Hannone quodam, ut volunt  
 Trojano, vel ab aliis nescio quibus, etiam  
 illo antiquioribus, appellata est. Verior ta-  
 men certiorque opinio tenet, derivari hoc  
 nomen à fluvio Haina, mediterraneum fere  
 ditiois istius perlabente. sed exponamus  
 jam ejus situm. Hannonia igitur à septem-  
 trione Brabantiam habet Flandriamque:  
 ab austro partim Campaniæ, partim Picar-  
 diæ confinalis est; ob ortu terminatur ex  
 parte Comitatu Namurcensi, ex parte vero  
 Leodicensi Episcopatu: ab occasu deni-  
 que Scaldis flumen est, & pars aliqua  
 Flandriæ Gallicanæ. Territorium ejus pa-

I. B. GRAMAYE

*Andoverpiensis*R E S P U B L I C A  
N A M U R C E N S I S.

In qua breviter Antiquitates Urbis & Comitatus Namurcensis, atque Reipublicæ ratio describuntur.

## C A P V T I.

*Nomen.*

**N**OMEN hujus urbis primo Siroch à conditore, mox Nemetocennam à Nemetum ad Sabin colonia, denique Namurcum fuisse volunt. Posterius quod remanet nomen varie legi scribique veteribus observo: Namutum, Namucum, Neumurciam, Namurtum, Namutram, Namurcum, & Gallis Namu, Namur, Teutonibus Namen, Germanis Nhemmen. Originationem & etymon aliter alii deducunt. Scriptorum pars sanior restauratæ per Romanos aut certe Francos arci à novo muro nomen hæsisse credit. Namen aliquot inde dictam volunt, quod juxta Mosam Sabin accipiat. Nec desunt qui à Naymone Duce nuncupatam, aut idolis Nam & Murcia. Annales à silentio Deastri Nam, Namuti appellationem induisse opinantur. Ego in tanta antiquitate nihil definitio, satis habens scripta & facta ab aliis recensere, & lectori judicium suum relinquere,

CA-